



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Imaginaria huius capitis visio describitur. Sectio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICUM.

De quarta visione Ioannis.

Imaginaria huius capitis visio describitur.

SECTIO PRIM A.

P R I M U M vidit Ioannes signum magnum in cælo, mulierem scilicet amictam sole, prementem pedibus Lunam, & gestantem in capite coronam duodecim stellarum: quæ grauida erat, & parturiens cruciabat, vt pareret. Secundò. Vidit aliud signum in cælo, nimirum draconem magnum, & rufum, habentem capita septem, & cornua decem, & in capitibus diademata septem: caudaque eius tertiam partem stellarum cæli in terram trahebat. Tertio. Draco ille stetit ante mulierem, vt simul atque peperisset, filium eius deuoraret. Sed contra accidit: mulier enim peperit filium masculum, qui relicturus erat omnes Gentes in virga ferrea, raptusque est ad Deum, & ad thronum eius: mulier autem fugit in solitudinem, in locum à Deo paratum, vt eam ibi pasceret diebus mille ducentis sexaginta. Quarto. Factum est prælium magnum in cælo: Michael enim, & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco etiam ex altera parte, & Angeli eius depugnabant. Sed non prævaluerunt, nec inuentus est locus eorum amplius in cælo. Quintò. Draco ille magnus, & serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem, projectus est in terram, & angeli eius maxima cælitum acclamatione dicentium: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia projectus est accusator fratrum nostrorum: illudque subiungentium, Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, scies, quod modicum tempus habet.* Sextò. Postquæ draco vidit, quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ pepererat masculum, cui tamè data sunt duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum à facie serpentis, id est, fugiens faciem serpentis: (sic enim nectendus est hoc loco contextus) vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Septimò. Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Verùm adiuuit terra mulierem, & aperiens os suum absorbit flumen, quod draco miserat. Postremò. Iratus draco in mulierem, abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui nimirum custodiunt mæ data Dei, & habent testimonium Iesu Christi, stetitque super arenam maris. Hæc de visione: iam de multiplici visionis mysterio disputandum.

Hoc signum magnum Ecclesiam esse: & cur signum appelletur?

Signum magnum apparuit in cælo.

SECTIO II.

H Anc mulierem, quam Ioannes signum magnum appellat, in literali sensu Ecclesiam esse communis est interpretum expositio, Andr. Cæleriens. Bedæ, Primas. Rich. Vict. Rup. Pann. Ioach. eam etiam tradit Method. in lib. cui titulus est *symposium*, & D. Greg. li. 34. Mor. c. 7. Quo fit, vt qui hanc visionem de beatissima Virgine interpretantur, non literalem, & historicum sensum, sed mysticum, & allegoricum sequantur: præterquam quod neque ipsa visio tota Virgini congruit.

I.
Andr. Cesar
Beda.
Primas.
Rich. Vict.
Rupert.
Pann.
Ioach.
Method.
D. Gregorius